



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 7. Episcopi pulsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum V.
A.C. 484.

§. VII.

Episcopi pulsi.

n. 3. Postquam hoc Edictum misisset, Hunericus omnes Episcopos Carthagine congregatos ejici jussit. Non equi, non mancipia, non vestes saltem, ut eas, quibus corpus tegebant, mutare possent, relictæ. Omnia quæ hospites attulerant, & quæ domi habuerant, ablata. Imo mandata in lucem edita, ne quis expulsos sub tecta reciperet, aut alimenta præberet; addita etiam pœna, ut, si qui eos quacunque ope adjuvissent, tam ipsi quam domus ipsorum flammis delerentur. Episcopi ejecti, cum jam nec Ecclesiæ, nec domus ipsis superessent, procul a Carthagine abire noluerunt, ne Colloquium fugisse arguerentur. Iphis igitur gementibus, & circa urbis Mœnia sub Cœlo errantibus, Rex forte egressus est. Accedunt omnes dicentes: *Quid mali fecimus, quod miserrime habeamur? si ad Colloquium vocati sumus, cur spoliatur, cur pellimur, cur miseris fame, & frigore moriendum?* Rex venientes oblique intuitus, antequam preces audivisset, immisit Equites, a quibus multi eorum, præsertim senes, & debiles saucii facti.

n. 4. Tum in locum, qui Templum Memoriae dicebatur, colligi jussi. Ibi eis chartam

tam convolutam ostendunt, & dicunt: *Sæculum V. A. C. 484.*
Rex contumacia vestra licet offensus, ta-
men salutem amat. Si juramento pro-
mittitis, vos facturos, quod in hac Charta
scriptum, Ecclesiis, & ædibus vestris vos
reddet. Omnes Episcopi responderunt:
Diximus, & semper dicemus, Christianos
nos esse, & Episcopos. Fidem Apostoli-
cam, quæ sola vera est, tenemus. Atque
Vandalis instantibus, ut juramentum
præstarent, Hortulanus, & Florentianus
omnium nomine dixerunt: Num Bruta
nos esse creditis, ut juremus ignorantes,
quid hæc Charta contineat? Missi a Rege
dixerunt: Fidem date, vos cupere, ut, Re-
ge fati functo, Hildevicus filius ejus Re-
gno potiatur, aut neminem vestrum Epi-
stolas ultra mare missurum. Si istud
promiseritis, ad Ecclesias vestras redire
licebit. Credidere aliqui simplices, lice-
re sibi hoc juramentum edere, ne ipsis
populi exprobrarent, fuisse in ipsorum
Potestate, Ecclesias recipere. Alii, frau-
dem subolentes, jurare detrectarunt, af-
ferentes illud ex Evangelio, prohibitum
esse omne juramentum Domini nostri
verbis: Ego autem dico vobis, non jura-
re omnino. Ergo Regis Ministri dixe-
Matth. 5. 34.
rent: Qui jurare volunt ex hac parte
stent. Cumque alii ab aliis digrederen-
tur, scribebant Notarii, quid singuli di-
cerent, & ex qua Civitate venisset. Ea-

Sæculum V. dem de illis, qui jurare recusabant, in
 A. C. 484. tabellis retulerunt. Mox tam hi, quam
 n. 5. illi in carceres missi, Vandali deinde
 ad illos, qui juraturi erant, *quia jurare
 voluistis contra Evangelii Præceptum, ju-
 bet Rex, ut nunquam amplius Ecclesias
 vestras, aut Civitates videatis, sed rele-
 gabimini, & agros servorum more colen-
 dos accipietis; ea vero conditione, ne psal-
 latis, nec oretis, nec librum manu tenea-
 tis lecturi, nec Ordinem, nec Baptismum,
 nec Pœnitentiam administretis.* Illis, qui
 jurare volebant, dictum: *Jurare nolui-
 stis, quia Regii Principis Imperium fu-
 turum detrectatis. Hinc meritas pœnas
 dabitis. In Insulam Corsicam relegabi-
 mini, & ligna construendis navibus cœ-
 detis.*

*Greg. Tur.
 II. hist. c. 3.*

*S. Eugenii
 Epistola &
 Exilium.*

S. Eugenius Carthaginensis, cum in
 locum Exilii abstraheretur non concessa
 mora, qua gregem suum ultimo exhor-
 taretur ad virtutem, scripsit Epistolam.
 In ea per Dei Majestatem, & Jesu Chri-
 sti Adventum obtestatur, ut in Fide Tri-
 nitatis, & in uno Baptismo constantes
 permaneant, nec rebaptizari se patiantur.
 Protestatur, innocentem se fore a san-
 guine eorum, qui perirent, & hanc E-
 pistolam adversus ipsos coram Tribunali
 Jesu Christi aliquando legendam. Hor-
 tatur ad orandum, jejunandum, & dan-
 dam

dam Eleemosinam, rursusque ne eos ti- Sæculum V.
 meant, quibus solummodo corpus occi- A. C. 484.
 dendi potestas est. Cum Eugenio erant
 Vindemialis Episcopus Capsensis ex Pro-
 vincia Byzacena, & Longinus Pamarien-
 sis ex Mauritania Cæsariana. Habemus Ruin. hist.
 Catalogum Episcoporum ex omnibus Persec. part.
 Africae Provinciis, qui ad Collationem 2. c. 8.
 venerant, & in Exilium missi sunt. Sci-
 licet ex Provincia Proconsulari 54. Epis- Notit. Afr.
 copi. ex Numidia 125. ex Provincia By-
 zacena 107. ex Mauritania Cæsariana
 120. ex Sitifensi 44. ex Tripolitana 5.
 ex Sardinia & vicinis Insulis octo. Uni-
 versim Episcopi 463. Ex his octoginta
 octo dura fata sustulerunt. 46. in
 Corsicam proscripti sunt, 301. in alia lo-
 ca abstracti, 28. fuga se subtraxerunt.
 Multi in locum Exilii Patriæ suæ proxi- vita S. Fulg.
 mum relegati; idque Hunerici nequitia c. 4.
 factum, ut nempe vehementiore deside-
 rio ad abjurandam fidem compelleren-
 tur.

§. VIII.

Vigilius Tapsensis.

Inter Episcopos in hac Persecutione pro- Not. Afr.
 scriptos qui legitur ultimus ex Provin- p. 133.
 cia Byzacena, est Vigilius Tapsensis edi-
 tis Libris celeberrimus. Is timens, ne
 suis libris offensi Persecutores acrius in
 Fideles furerent, suo suppresso Illustris-
 B 5 simo-